

HIERONYMI VVOLFII IN EPHE-

meridas nouas Cypriani Leouitiij
Elegia.

Quantus Ephemeridum numerus modo' prodit in auras? *Astrologia facis
litas & dignitas.*
 Nostra quot artifices secla benigna ferunt?
 Nunc etiam cœcis patet aurea regia cœli:
 Sidera nunc claudus scandere quisq; potest.
 Ætheriamq; domum celeri percurrere mente:
 Et quid fata ferant, cernere mente licet.
 Hoc opus est hominis: Lux hæc diuinitus orta
 Pectoribus radios inserit alma suos:
 Protinus ut videant quæ post ventura trahantur.
 Non modo' quæ iam sunt, quæq; fuere prius,
 Hoc sapientis opus, seriem connectere rerum:
 Quæ sunt ante pedes cernere talpa queat.
 Altius insurgunt quibus aspirauit Apollo,
 Vraniq; sui numinis auxit opem.
 Pieridum decus Vranie, princepsq; sororum:
 Audiat hoc ægrè Calliopæa licet.
 Vranie Charitum genitrix, Iouis vnica proles,
 Clara poli ciuis, quæ facit vna Deos.
 Quis neget esse Deos Mens quorum degit olympto
 Ima licet Tellus corpora mater alat?
 Hei cur non primis Dea me quoq; fouit ab annis?
 Venit in amplexus cur ita sera meos?
 Cur subito refugit? cur non amplexibus hæret?
 Munera cur parca dat minus ampla manu?
 Scilicet hoc superum ius est: sua munera donant
 Cui libet: inuitos cogere nemo potest.
 Non prece, non precio, vænalia munera Diuum:
 Non vigiles curæ, non parat ista labor.
 Sponte sua veniunt cœlestia semina menti:
 Mens fouet hæc: fruges excolit inde labor.
 Onimium sc̄elix MONS REGIE, ciuis olympi, *Regiomontanus.*
 Munera cui larga Dii tribuere manu.
 REGIEMONS summo data MENS cui REGIA cœlo
 Regum sollicitas exuperauit opes.
 Non tibi Barbaries Arctoi frigida cœli
 Obstitt: ingenio peruia cuncta tuo.
 Te Dea sublimem fulgentibus intulit astris:
 Te docuit nitidi ferrea iura poli.
 Te satis edoctum terris demisit, ut esses
 Lux hominum: cœli te duce nota via est.
 Primus ephemeridas (taceo iam cætera) condidit,
 Tu monstras quidnam secla futura ferant.

Hic